

Chanaan, vt impleret Deus, introduxit Israelitas in terram Chanaan , non propter eorum iustitiam: sic nobis dat vitam æternam promissam.

*Censura,* Hæ tres annotationes in quantum ostendunt Deū dare nobis beatitudinē ex sola sua benignitate & promissione, & nō ex operibus & meritis, hæreticæ sunt.

*Hæreticus* sane istorum iudicio habear: sed cum Paulo , qui docet gratiam Dei esse vitam æternam, Rom. 6.d.23. Itē, Gratia saluati estis per fidem, & non ex operibus, ne quis glorieatur, Ephes. 2.b. 8. Item David hominē pronuntiat beatū, cui acceptā fert Deus iustitiā absque operibus, Rom. 4.b.8. Itē, si Abraham operibus iustificatus est, habet quod glorietur, sed non apud Deū. Rationē subiçit, Quia fide iustitiam adeptus est. Fides autem credenti & non operanti in iustitiam imputatur, Rom. 4.a 5. Volunt Sorbonici magistri , Deum sibi obnoxium facere. Contrà Paulus reos omnes statuit, vt omnē os obstruatur, & conticeat hominum iustitia, ad illustrandam Dei iustitiam: vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui ex fide est Iesu